



Secunda quaestio praevia ad Novam Apologiam Papae Honorii I.

Formula christologica Pseudo-Dionysii Areopagitae de activitate Christi theandrica tum obiectivistica Patrum, Scholasticorum et recentiorum theologorum, tum nova interpretatione subiectivistica lucubratur.

Dr. Josephus Marić, prof. ord.

Tractanda a nobis quaestio de celeberrima illa formula christologica agit Pseudo-Dionysii Areopagitae, quae novam quandam activitatem Christi theandricam affirmat.

Formula enim christologica, quae in epistola Pseudo-Dionysii ad monachum quendam Caium invenitur, sic sonat: »Ceterum non secundum Deum divina, neque humana secundum hominem perfecit (sc. Christus), sed utpote Deus homo factus, novam quandam activitatem theandricam nobis exhibuit.«¹

Dicimus: Pseudo-Dionysii Areopagitae, cum eadem epistola ad Caium monachum Dionysii Areopagitae, S. Pauli discipuli et episcopi Atheniensis non sit, sed prouti infra magis patebit, scriptoris cuiusdam, qui sub finem saeculi quinti vel principio saeculi sexti in Syria vixit.²

Praesentem autem dissertationem tamquam Quaestionem praevia ad Novam Apologiam Papae Honorii I.

¹ . . . Καὶ τὸ λοιπὸν, οὐ κατὰ Θεὸν τὰ θεῖα δράσας, οὐ τὰ ἀνθρώπεια κατὰ ἄνθρωπον, ἀλλ' ἀνθρωπέντως Θεοῦ, καινὴν τινα τὴν θεανδροικὴν ἐνέργειαν ἡμῶν πεπολιτευμένος. Migne, P. gr. 3 (1), 1072.

² Bardenhewer, Patrologie, Freiburg (B.), 1910, 462—465; Tixeront, Histoire des dogmes, Paris, 1922, III, 134; Mannucci, Istituzioni di patrologia, Roma, 1923, II, 286—291; Rauschen-Wittig, Grundriss der Patrologie, Freiburg (B.), 1926, 436—442.

praemittimus eam sane ob rationem, quod **Monotheletae** teste concilio Lateranensi (a. 649.) et Constantinopolitano, oecumenico sexto (a. 680.—681.) de una Christi activitate theandrica doctrinam probare cupientes, **Theodosianorum** seu **Severianorum** vestigia secuti, ad eandem **Pseudo-Dionysii** formulam christologicam provocabant.³

Theodosiani scilicet seu **Severiani** — qui duce **Severo**, patriarcha Antiocheno, **Theodosio**, patriarcha Alexandrino et **Themistio** diacono Alexandrino iam primo dimidio saeculi sexti doctrinam »de una Christi voluntate et activitate« et »de una Christi activitate theandrica« propositam defendunt — in capite septimo Unionis Alexandrinae, ad quam, uti in Praefatione ad Primam quaestionem praeviam monuimus, a **Cyros**, patriarcha Alexandrino saeculo septimo, anno scilicet 633. adducti sunt, unum eundemque Christum et Filium »divina et humana una activitate theandrica operantem secundum sanctum **Dionysium**« profitentur.⁴

Jam vero ex hac Unione Alexandrina praecipueque excitato capite septimo **Monotheletismus** originem duxit, propter quem **Cyros**, patriarcha Alexandrinus, **Sergius**, patriarcha Constantinopolitanus eiusque successores **Pyrrhus**, **Petrus**, **Paulus** et alii nec non **Papa Honorius I.** in concilio Constantinopolitano, oecumenico sexto, a. 680—68. damnati sunt. Damnationis causa ab eodem concilio ea infertur, quod **Theodosianorum** seu **Severianorum** vestigia secuti de una Christi voluntate et activitate et

³ **Mansi**, Concilia, X, 894, 902, 974, 982, 987, 1010; XI, 222, 346, 354, 359, 635, 684—686.

⁴ ... καὶ τὸν αὐτὸν ἓνα Χριστὸν καὶ ἓν ἐνεργοῦντα τὰ θεοπεπῆ, καὶ ἀνθρώπινα μὴ θεανθρώπινη ἐνεργεῖα, κατὰ τὸν ἐν ἁγίοις Διονύσιον. **Mansi**, Concilia, XI, 565. **Marić**, *Celebris Cyrilli Aleksandrini formula christologica de una activitate Christi theandrica in interpretatione Maximi Confessoris et recentiorum theologorum*. Prima quaestio praevia ad Novam Apologiam Honorii I. Papae. Zagreb, 1926. (Ex *Ephemer, theol. Bogoslovska Smotra*, 1926, 56—102. — De Monophysitismo Severiano vide: **Junglas**, *Leontius von Bizanz*, Paderborn, 1908; **Lebon**, *Le monophysisme sévérien*, Lovanii, 1909; **Marić**, *De Agnoetarum doctrina*, Zagreb, 1914; **Tixeront**, *Op. c.* 117—129.

de una Christi activitate theandrica doctrinam haereticam renovarunt.⁵

Qua de causa eadem quaestio iure merito adnumeranda est iis quaestionibus, quae nisi dilucidentur, nostra quidem opinione Monotheletismi historia aeque ac famosa illa de Papa Honorio I. controversia nec undequaque intelligi nec rite diiudicari possit.

Eandem autem quaestionem in quinque divisimus partes.

In parte prima textibus ex concilio Lateranensi (a. 649.) et concilio Constantinopolitano, oecumenico sexto (a. 680—681) desumptis innixi Theodosianos seu Severianos de una Christi activitate theandrica in Pseudo-Dionysii Areopagitae auctoritate fundasse ostendemus.

In parte secunda iisdem conciliis innixi Monotheletas Theodosianorum seu Severianorum de una Christi activitate theandrica doctrinam renovasse et restaurasse monstrabimus.

In parte tertia Pseudo-Dionysii Areopagitae sententias christologicas praecipuas seu fundamentales exponemus.

In parte quarta eiusdem Pseudo-Dionysii Areopagitae ipsam formulam christologiam de activitate Christi theandrica tractabimus.

Primo loco quidem probare conabimur praeter interpretationem, quae hucusque a theologis de eadem formula christologica proposita est, quamque interpretationem obiectivisticam et antimonophysiticam appellabimus,

⁵ Mansi, Concilia, XI, 635, 684. Schwane, Dogmengeschichte, Freiburg (B), 1895, II., 378—410; Weiss, Historia Ecclesiastica, Graecii et Viennae, 1907, I., 361—373; Hergenröther-Kirsch, Handbuch der allgemeinen Kirchengeschichte, Freiburg (B), 1911, I., 668—686; Marx, Lehrbuch der Kirchengeschichte, Trier, 1919, 179—185; Knöppler, Lehrbuch der Kirchengeschichte, Freiburg (B), 1919, 187—191; Tireront, Op. c. 160—192; Schmidt, Grundzüge der Kirchengeschichte, Mainz, 1925, 93—96. Cfr. etiam alios innumeros fere libros tum dogmaticos tum historicos uti etiam Monographias speciales, quae de ortu, evolutione et fine Monotheletismi agunt, de quibus in ipsa Nova Apologia Papae Honorii I. sermo erit.

aliam quoque adstrui posse eamque subiectivisticam et antinestorianam denominabimus. Secundo loco brevis sequitur interpretationis obiectivisticae expositio historico-critica inde a Sophronio, patriarcha Hierosolymitano usque ad temporis recentissimi auctores.

In fine vero inter utramque interpretationem comparisonem instituemus.

Denique in parte quinta possibilitatem ostendemus et verosimilitudinem Theodosianus seu Severianos de una Christi activitate theandrica doctrinam in interpretatione subiectivistica formulae christologicae Pseudo-Dionysii Areopagitae fundasse.

Quaestionem vero facti, utrum scilicet Theodosiani seu Severiani unam Christi voluntatem et activitatem et unam Christi activitatem theandricam sensu subiectivo de facto proposuerint, ad specialem remittimus Quaestionem praeviam.

Accedamus igitur ad partem primam huius quaestionis.

I.

Teste concilio Lateranensi (a. 649) et Constantinopolitano oecumenico sexto (a. 680—681). Theodosiani seu Severiani suam de una activitate Christi theandrica doctrinam in Pseudo-Dionysii Areopagitae auctoritate fundabant.

Ita v. gr. in sessione tertia concilii Lateranensis textus legebatur, in quo Themistius contra Colluthum quandam asserit Severum, patriarcham Antiochenum unam Christi activitatem theandricam — et non simpliciter divinam (sc. activitatem) — docuisse, cum Christus alia modo divino, alia vero humano operatus esset.⁶ Si autem ipsa (sc. activitas) — prosequitur Themistius contra Colluthum — divina tantum (est) et non theandrica, uti saepe diximus, nihil secundum nos (sc. homines) operatus est (Christus).⁷ Activitas Christi tum in divinis tum in humanis — ait

⁶ Mansi, X, 982.

⁷ Mansi, X, Ib.

idem Themistius ad Marcellinum presbyterum et Stephanum diaconum — non erat alia et alia (sc. duorum) sed una atque eadem utpote unius existens eiusdemque. Et hac de causa cum Areopagita theandricam nominat.⁸

Sequitur pars secunda, in qua Theodosianorum seu Severianorum supra dictam de Christi voluntate et activitate doctrinam a Monotheletis saeculo septimo renovatam atque restauratam esse probandum est.

II.

Teste eodem concilio Lateranensi et Constantinopolitano, oecumenico sexto Monotheletae saeculo septimo unam Christi voluntatem et activitatem et unam Christi activitatem theandricam proponentes Theodosianorum seu Severianorum christologiam renovabant et restaurabant.

Ita v. gr. Stephanus, episcopus Dorensis, in sessione secunda concilii Lateranensis asserit Theodorum, episcopum ecclesiae Pharanitanae, Cyrum, Sergium eiusque successores Pyrrhum et Paulum... Severi dogmata haeretica renovasse et exclamat: »...introducitas extinguite tenebras Severi nefandissimarum haeresum per superius memoratos viros etiam nostris temporibus procaciter germinatas.«⁹

Deus dedit, ecclesiae Caralitanae in Sardinia episcopus in sermone, quem in sessione tertia eiusdem concilii Lateranensis habuit, Martinum Papam laudibus extollit, quippe qui Cyrum et Sergium, haeticorum confessione irritos esse ostendit, quoniam unam in Christo cum Themistio et Severo activitatem theandricam esse dixerit.¹⁰

Martinus I. Papa in eadem tertia sessione concilii Lateranensis Cyrum et Sergium in dogmatibus Themistii esse discipulos dicit, eo quod ab eodem Themistio edocti Pseudo-Dionysii verba »novam quandam

⁸ Mansi, X, lb.

⁹ Mansi, X, 894, 902.

¹⁰ Mansi, X, 987.

activitatem theandricam« in »unam quandam activitatem theandricam« immutaverunt.¹¹ Quin immo Sergium idem Papa simpliciter de una Christi activitate locutum esse affirmat.¹² Prae oculis enim habet epistolam Sergii ad Cyrum datam, quae paulo ante legebatur. In ea enim Cyrum Sergius ob Unionem peractam laudat et adiungit. « Asseruistis igitur... confiteri... eundem unum Christum operari divina et humana una activitate, quia omnis divina et humana operatio ab uno eodemque Deo Verbo incarnato procedebat.»¹³

Teste eodem Martino Papa, uti videre est ex quarta sessione eiusdem concilii Lateranensis, Pyrrhus, patriarcha Constantinopolitanus Cyrum contra Sophronium, patriarcham Hierosolymitanum, defendit dicens »novam... activitatem theandricam« non posse aliter intelligi quam »unam activitatem theandricam.«¹⁴

In sessione secunda concilii Constantinopolitani, oecumenici sexti, Macarius, patriarcha Antiochenus, Constantino, imperatori respondit: »Ego numerum (sc. unam vel duas Christi activitates) non dico, sed secundum sanctum Dionysium theandricam eius (sc. Christi) activitatem.«¹⁵ In sessione vero octava professio fidei ab eodem Macario composita legebatur, in qua dicit: »...et omnem divinam atque humanam operationem ex eodem uno Christo Deo nostro nova ratione processisse credimus. Neque enim quae divina sunt, secundum Deum, neque rursus, quae hominis, secundum hominem, sed incarnatus Deus Verbum novam quandam activitatem theandricam et hanc totam vivificam demonstrat.«¹⁶ Denique in eadem sessione repetit Macarius: »Non dico duas naturales voluntates et

¹¹ Mansi, X, 982.

¹² Mansi, X 982.

¹³ Mansi, X, 974.

¹⁴ Mansi, X, 1010.

¹⁵ ... ἐγὼ ἀριθμὸν οὐ λέγω, ἀλλὰ θεανδρικὴν αὐτοῦ τὴν ἐνέργειαν κατὰ τὸν ἅγιον Διονύσιον. Mansi, XI, 222, 346.

¹⁶ Mansi, XI, 354.

duas operationes naturales... nec si membratim incidar et mittar in mare.«¹⁷

Patres in sessione decima octava eiusdem concilii Constantinopolitani coadunati Theodorum, episcopum Pnaranitanum, Sergium, Pyrrhum, Petrum, Paulum... et »Honorium, qui fuit papa antiquae Romae«, Cyrum Macarium et Stephanum eius discipulum haeresim« consentaneam insanae ac malitiosae sectae impiorum Severi atque Themistii...« restaurasse atque disseminasse declarant.¹⁸

Idem Patres in epistola ad Papam Agathonem dicunt: »...anathematibus interfecimus... Theodorum, Sergium, Honorium, Cyrum, Paulum, Pyrrhum et Petrum. Ad hoc autem et post eos anathematibus haereticorum iuste subiecimus et eos qui vivunt suscepta illorum impietate, vel ut apertius dicatur... Severi et Themistii exosorum Deo, Macarium... Stephanum eius ad amentiam discipulum... item Polychronium, qui in dogmatibus haereticis nomini suo respondens inveteravit...«¹⁹

Teste igitur concilii Lateranensis (a. 649) et concilio Constantinopolitano, oecumenico sexto (a. 680—681) una ex parte Theodosiani seu Severiani saeculo sexto et septimo ad Pseudo-Dionysium provocantes unam Christi activitatem theandricam profitebantur. Ex altera vero parte Monotheletae Theodosianorum seu Severianorum de una Christi voluntate et activitate et de una Christi activitate theandrica doctrinam ab iisdem conciliis renovasse ac propugnasse affirmantur.

¹⁷ Mansi, XI, 359.

¹⁸ καινοφάνως ἐνσπείρας τὴν αἵρεσιν, τῆ Ἀπολλιναρίου, Σεβήρου καὶ Θεμιστίου τῶν δυοσεβῶν φρενοσλαβεῖ κακοδοξίᾳ συνάβουσαν... Mansi, XI, 635.

¹⁹ ... πρὸς δὲ τοῦτοις καὶ μετὰ τοῦτους τοῖς ἀναθέμασι τῶν αἰρετικῶν ἐνδίκως καθυπεβάλομεν καὶ τοὺς ἐνζῶσιν ἀναδεγμένους τὴν τοῦτων ἀσέβειαν, εἰπεῖν δὲ μᾶλλον σαφέστερον, τὴν Ἀπολλιναρίου, Σεβήρου τε, καὶ Θεμιστίου τῶν θεοσυγῶν, Μακάριον... Στέφανον... Πολυχρόνιον... Mansi, XI, 684—685.

His itaque explicatis videre oportet, quonam sensu formula christologica Pseudo-Dionysii de activitate theandrica intelligenda sit, et quo sensu Theodosiani seu Severiani eam intellexerint et ad eam provocaverint.

Utrumque videre necesse est si sensum, quem damnatio Monotheletarum et Papae Honorii I. a Patribus concilii Constantinopolitani, oecumenici sexti facta habuit, recte perspicere volumus.

Sed antequam ad ipsam Pseudo-Dionysii Areopagitae formulam christologicam accedamus, praecipuas eius seu fundamentales opiniones christologicas inspiciamus oportet.

Quem finem disputationis pars tertia prosequitur.

(Continuatur).

